





CARMEN VOTIVUM  
 PRO FELICI BEATOQ. INEUN-  
 TIS ANNI AUSPICIO

Illustrissimo atq; Excelsissimo Principi  
 ac Domino,

DN. AUGUSTO

PRINCIPI ANHALTINO,

COMITI ASCANIÆ, DOMINO

Servestæ ac Bernburgi &c.

ANHALTINATUS CISALBINI

ADMINISTRATORI &c.

*Domino suo Clementissimo Humilime  
 subjectionis causâ*

In studiorum suorum commendationem

Scriptum à


M. JOHANNES CREMERO

S. S. Theolog. Studio.

SERVESTÆ

Characteribus Zachariæ Dörfferi.

M. DC. XXV.





Cce terit Chronii metam rota publica  
Circi,  
Atq; Annotinum iter, Mensis, quem vo-  
ce Decembris,  
Seu Fratrum numerus sive Incunabula Christi  
Indigitant, claudit: finisq; ab origine pendet.  
Terminus hic anni cunctorum paula malorum  
Faxit Jova, fiet: cunctorum & causa bonorum  
Anni principium fiet, almus, faxit Jova.  
At, quia successus per mutua vota secundos  
Gratari, per tot ritus solemnibus habetur  
Secula: Vota feram. Cui thura sabæa litanti  
Desunt, ille molâ falsâ, rapôve litare  
Cogitur, aut, patulâ dextrâ quam sumserit, undâ.  
Tu modò, qui augustam Serevestam, AUGU-  
STE, gubernas,  
Stella Ducum, Ascaniæq; domus generosa colu-  
mna,  
Umboq; exhaustæ Patriæ pacalis, & urbis  
Quæ Cereris cognomen habet, Fax incluta  
nostræ:  
Tu modò, quod bene sit, propriumq; in pectore  
servas  
Augusto, augustâ facie, rogo, vile tenelli

A 2

Suscipe



Suscipe vatis opus, quin & cape vota ministri  
Devoti devota tui, nec Sperne Camènas,  
Si mihi præteritos casus memorare luberet,  
Illustriq; oculo res ea digna foret:  
Flebile Martis opus plorarem & tristia pugnae  
Tempora, præteriti quæ docuère dies,  
Leucadiiq; Dei fraudes, technasq; referrem,  
Frangere quis voluit Tépla Theatra, Scholas.  
Sed quis in antiquæ inquirat certamina pugnae?  
Vulnera quis ferro jam coitura fricet?  
Non Mavors dat jura solo, neq; Falcifer Heros,  
Sed Trinus, superâ, qui sedet arce, Deus.  
Huic pia devotis modulemur cantica votis,  
Quotquot Sol oriens Sol moriensq; videt,  
Quòd non obfuerint nostris rigida ausa Gradivi  
Oris, non technæ Falcitenentis Heri.  
Atq; Ego votivas veterum de more tabellas  
Gestio supremo affigere in æde Deo:  
Quòd medio in cursu Fati tot damna parantis,  
Quam regis Imperiis, Urbs tua tuta fuit.  
Tuta fuère tuis quin & loca subdita sceptris:  
Temporaq; auspiciis lapsa fuère bonis.  
Nil nisi bella, minas, cædes, atq; arma frequétant,  
Eoæ gentes, Hesperiaeq; plagæ.

Nec



Nec tamen arma, minæ, cædes & bella colonos  
 Invasêre, tuo quotquot in orbe regis.  
 Reliquiis afflicta suis Ecclesia nidum  
 Possedit, pullis dans alimenta suis.  
 Consilii fora sancta boni non indiga, promptè  
 Discutiunt lites, sed sine lite, graves.  
 Et Schola depromit, firmis innixa columnis,  
 Theologas tutò Philosophasq; dapes.  
 Civis & intereà pacis securus optimæ,  
 Observans legum, munia jussa facit.  
 Anne igitur cernis, PRINCEPS, hæc tanta bono-  
 Pondera, quæ superant fulva talenta Midæ? (rū  
 Non hæc tanta Tibi indulsit fors cœca bonorū  
 Commoda: sed superus qui tenet alta, Deus.  
 En igitur PRINCEPS! sacras eo promptus ad aras,  
 Ut gratos mediter, non sine laude, modos.  
 Et quia summa dies fastorum desinit annum,  
 Punctaq; principii jam nova JANUS adit:  
 Ardua sublata tendens ad sidera palmas,  
 Ipse sacrum Numen thure vocabo precum:  
 Ut tibi (non renuente Deo) feliciter omnis  
 Hora, Dies, Mensis, totus & Annus eat.  
 Servet Hic in sano firmatam copore mentem  
 Agnitione Sui, cognitione Tui.

A 3

Servet



Servet Hic Illustrem Illustri cū Cōjuge Prolem:  
Floreat ut RECTI, vivat AMANSq; DEI.  
Nempe DEI quisquis RECTIq; tenetur amore,  
Cunctis se INTREPIDUS sistit ubiq; Viris.  
INTREPIDUS, voveo, RECTIq; DEIq; sequa-  
tur

FLAGRANTEM, Hic numerus nempe vale-  
re potest,

Pulchra Valetudo regno regalior omni  
Regnantem ditet Teq; Tuamq; Domum.  
Corpora nec tristes peredant Illustria morbi:  
Serum iter ad superos spondeat Alma salûs.  
Faxit Jo! Patriæ conserves publica terræ  
Otia, ne populus subditus arma fremat,  
Atq; salutiferæ sementis in urbe Satores  
Intrepidè spargant semina sancta DEI.  
Quò suus exstet honos Domino: servetur ovile  
Ne quicquam pereat diripiente Lupo.  
Primorumq; manus, prudensq; Corona Senatus  
Intrepidè populo dent bona jura suo.  
Vinciat atq; animos rerum PAX optima custos  
Ne Lis contiguos distrahat atra focos.

Et vigeant, vireantq; diu rogo Musica tempe,  
Artibus & Linguis non inhonora bonis.

Pompa





Pompa Professorum vigeat, vireatq; Juventus  
Musæa, Intrepidè munus agatq; suum.  
His tribus, unanimi si fœdere juncta gubernas,  
Non Urbs, non Orbis majus habebit opus.  
Histe semideis reddes Heroibus æquum  
Laudeq; defunctos nobilitabis Avos. (c̄te  
Ergò age, DUX Excelse, novis tot honoribus au-  
Grande secundanti Numine perfer onus.  
Perge tuos æquâ populos ditioe tenere,  
Sontibus esse gravis perge, bonisq; bonus.  
Et sic purpureis te splendida Fama quadrigis  
Tollet ad astriferi lucida' texta pepli.  
Teq; Tuumq; GENUS, Dotes Heroica facta  
Cum Rhodiis Cimber discet, Iberq; ferox.

Sic voveo. Votis faveas Pater optime nostris:  
Et quæso votis des meliora DEUS.

F I N I S.



[Faint, illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 14 lines within a rectangular border.]

F I N I S

Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



16

TIVUM  
 OQ. INEUN-  
 SPICIO  
 lissimo Principi  
 o,  
**USTO**  
 HALTINO,  
 IÆ, DOMINO  
 nburgi &c.  
**S CISALBINI**  
 TORI &c.  
 simo Humilime  
 usâ  
 mmodationem  
 à  
**CREMERO**  
 Studiofo.

Æ  
 ariæ Dörfferi.  
 XV.